

praeterea et alia beneficia omnia in Confinio reperibilia olim per Regnicolas pure ideo cessa fuisse, ut ab his Confiniarii pro tutamine totius Monarchiae militare, non vero contribuere teneantur.

Quarto. Sufficiens Dotatio futura est, si Confiniarii ab aliis recenter, etiam ultra vires eorum impositis oneribus non militaribus, eximantur.

Quinto. Adducetur, sub novo Dotationis militis nomine auctionem Confiniariae militiae quaeri, quoniam cum terris homines quoque easdem actu incolentes statui militari adplicarentur, tenuta sua necessario ita reservaturi, ut quod aliis exinde tribui possit, non supersit. Hanc porro auctionem nec necessariam esse, quod olim quoque contra vim Turcarum Confinia cum copiis nobilitaribus sese defenderint; nec expedire, quod periculosum foret, numerosissimum alioquin hunc populum, qui primo aliquo motu omnes Provincias in discrimen conjicere posset, adaugere.

Sexto. Adducetur etiam, rationem status rationi securitatis publicae conjunctam esse; publicam vero securitatem in eo consistere, ut privati vitae et rerum suarum securitate gaudeant: hac vero gaudere nequeunt, dum Generalis a Beck Bona per Suam Majestatem Sacratissimam recenter Benigne donata violenter occupat. Quodsi vero haec adhuc Excorporatio institueretur, Ecclesia Dei, complures Domini Magnates et Nobiles justissimis juribus suis nullo demerito, absque omni via juris, privari deberent.

Septimo. Regnicolae olim, dum ampla bona sua, Regno Bosniae per Turcas occupato, pro Confiniis Carlostadiensi, Banali, Varasdinensi et Sclavonico, in tutamen totius Monarchiae sacrificarunt, ad ullam unquam terrarum et territoriorum quantitatem sese obligassent, tamen adhuc sperare potuissent, quod ante omnem ejusmodi Excorporationem cognitio necessitatis non privative Praefecturae militari, sed Regnicolis quoque delata fuisset. Interim cum Regnicolae ne Banalis quidem Confinii consistentiam in se assumpserint, tanto minus noviter elaboratam Carlostadiensis Confinii consistentiam Bonis suis supplere et adaugere obligarentur.

Octavo. Sua Majestas Sacratissima dignabatur Benigno suo de 1750 emanato Diplomate Bona per Commissionem Invalidorum prius possessa jurisdictioni Regni reincorporata declarare. Sed haec quoque jam sunt pro Confiniis adplicata; adeoque dum pro his Regnicolae instare jure possent, adhuc privativa eorum Bona quaeruntur.

Nono. Ponendum etiam erit nervose ob oculos Suae Majestati Sacratissimae, quod haec Excorporatio citra convulsionem fundamentalium Regni legum Regionumque Diplomatum fieri nequeat: hac enim ratione Ecclesia, Domini Magnates et Nobiles, non legitime citati nec juris ordine convicti Bonis suis privarentur; Bona a Regni jurisdictione contra tenores articuli 2. 1741. excorporarentur; Regnicolae vero fidelitatem Principi, Sacrae Regni Coronae, legibus jurassent; proinde salvis conscientiis suis in aliquam excorporationem assensu proprio concurrere non possent. Ideo

Decimo. Supplicandum erit Suae Majestati Sacratissimae, ut humillimam Deprecationem Excorporationis Benigne suscipere dignetur. Ad mo-